

butiones quotidianæ reservantur clerico possessori idest coadjuto, ut etiam resolvit S. Congregatio Concilii in causa *Romana diei 19. Augusti 1730.* Ratio hæc esse videtur: quia coadjutus præsumitur fructibus indigere ad honestam suam sustentationem, nec æquum videtur, Clerico media sustentationis subtrahenda etiam ex parte esse eo præcipue tempore quo ob infirmitatem vel ob senectutem majori defectu laborat et potioribus premitur necessitatibus.

11. Si autem sermo sit de coadjutoribus sive temporaneis sive perpetuis in beneficiis parochialibus, juxta sensum *cap. 3. h. t. et cap. 6. sess. 20. de Ref. in Tridentino,* Episcopus debet vel de fructibus beneficii vel aliunde eisdem consulere, ut habeant congruam sustentationem.

12. Relate vero ad coadjutores perpetuos canonicorum, hæc sunt in specie animadvertenda: 1°. Coadjutum canonicum non eximi a residentiae lege, immo ipsum coadjutum respondere debere coram Capitulo de servitio chori, et punctaturas solvere ob negligentiam coadjutoris. Ratio est, quia titulus beneficii quoad præsens tempus totus et integer in suis juribus et oneribus perseverat in coadjuto, cujus persona in sacris officiis repræsentatur a coadjutore. Conf. Benedictus XIV. *De Syn. lib. XIII. c. 9. n. 13.* — 2°. Coadjutorem vero teneri ad præstandum servitium chorale, ita ut si ex ejus negligentia damnum patiatur coadjutus, ipse coadjutor teneatur hoc damnum compensare. Ita S. Congregatio Concilii in causa *Romana diei 22. Febr. 1862. et 12. Augusti 1871.* — 3°. Quoad jus sedis regulam receptam esse, ut coadjutor sedeat in ultimo loco inter illos qui sunt in eodem gradu cum persona coadjuti, præcedat vero reliquos, qui sunt gradus inferioris. Unde si in capitulo adsint plures dignitates, coadjutor datus uni ex dignitatibus sedem obtinet post ultimam dignitatem et ante reliquos canonicos. Sic etiam coadjutor canonici sedet post omnes canonicos et ante beneficiatos. — 4°. Quoad jus vocis activæ et passivæ canonici coadjutoris in capitulo, præstat referre resolutionem S. Congregationis Concilii in *Novariensi diei 20. Maji 1649* hisce verbis conceptam: S. Congregatio censuit, canonicos coadjutores, etiam coadjutis absentibus non posse capitulis interesse, nec in illis vocem dare nec officium nuncupatum *auriano della chiesa* exercere, nisi ista in litteris apostolicis coadjutoriae explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur. (*Rel. LII. 109.*)

Hæc resolutio informatur principio quod regit relationes inter coadjutum et coadjutorem, videlicet coadjutus continuat esse verus beneficiatus, unde sua jura conservat et potest per seipsum suas obligationes supplere; coadjutor vero tenet locum et supplet defectum coadjuti. Unde coadjutor rigore juris nec vocem habet in capitulo, nec officia quæ canonicis adsignantur, competere possunt coadjutoribus. Talia sunt officia Camerarii, Secretarii etc.

13. At hæc omnia competere possunt coadjutoribus, si de iis in litteris Apostolicis coadjutoriae expresse caveatur, ceu traditur in cit. resolutione, necnon si constitutiones capitulares id permittant, vel etiam si laudabilis consuetudo legitime præscripta coadjutoribus assistat. Notamus vero ab uno saltem ex hisce capitibus usum in aliquibus capitulis procedere, ut in praxi canonicus coadjutor, absente coadjuto, facile admittatur ad suffragium edendum in capitulo.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

1. Institutio si in genere et lato sensu sumatur, quemcumque modum provisionis beneficiorum exprimit. Semper enim in beneficio institutus clericus dicitur, quicumque fuerit modus legitimus quo beneficium assecutus est. Hinc in *reg. 1. Jur. in 6°.* dicitur: 'Beneficium ecclesiasticum non potest licite absque institutione canonica obtineri'.

2. Stricto autem sensu sumpta institutio sumitur ad differentiam sive liberæ collationis, sive etiam confirmationis, quæ electioni conceditur. Hoc in sensu institutio definitur 'Concessio Ecclesie vel Beneficii vacantis auctoritate legitimi superioris facta ad nominationem seu præsentationem patroni'.

3. Institutio dividitur trifariam ut alia sit *tituli collativa*, alia sit *auctorizabilis*, alia vero *realis* seu *corporalis*. Prima institutio nihil aliud est nisi actus seu decretum superioris, quo titulus beneficii confertur clerico idoneo a patrono præsentato. Huic institutioni undequaque competit data definitio.

4. Auctorizabilis institutio, quæ etiam dicitur approbatio, locum habet cum Superior clericum præsentatum instituit in beneficio curam animarum habente, et concedit simul eidem jurisdictionem in populum. Rigore juris in beneficiis curatis potest institutio

auctorizabilis distingui ab institutione tituli collativa. Nam fieri potest, ut institutio beneficii parochialis collativa tituli pertineat ad Capitulum, et deinde opus sit, ut ab ordinario loci concedatur institutio auctoritativa seu jurisdictio ad curam animarum exercendam necessaria.

5. Tertia institutio est realis, quæ nihil aliud est, quam immissio in actualem possessionem beneficii, scilicet manuctio seu investitura per quam clerico, qui habet titulum beneficii, seu jus in re tribuitur corporalis idest realis possessio beneficii et iurium ejus.

De institutione tituli collativa.

6. Præmittimus hanc institutionem a laicis dari non posse. Sane juxta *c. 8. de Renun.* clericus, qui beneficium resignavit in manibus laici et ab eodem inde illud recepit, spoliatur ab eodem beneficio. Cui capiti consonat *c. 4. de jure patronat.* in quo statuitur, clericos suscipientes beneficium a laicis, si perstiterint in beneficio, ceu intrusos esse deponendos a ministerio ecclesiastico et ab ordine. Ratio dispositionis desumitur ex natura institutionis tituli collativæ, quæ cum conferat jus spirituale nempe jus officii sacri obeundi, est proprie potestas spiritualis, quæ proinde laicis competere nequit *c. 2. de Judiciis et c. 7. de Præscript.* Hinc in *c. 4. de Jurepatr.* laici qui præsumunt vel instituere vel destituere clericos in Ecclesiis etiam patronatis subjiciuntur pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ. Quæ cum ita sint, nec facultatem institutionis concedendæ in beneficiis ecclesiasticis consuetudine vel præmissione acquirere possunt laici, sed ad eam acquirendam opus esset privilegio Pontificio quod est supra jus ecclesiasticum, nec facile concedi solet. Igitur ex jure communi clerici solummodo concedere possunt institutionem tituli collativam.

7. Porro in diœcesi ordinaria potestate institutionem concedit 1º. Episcopus qui habet fundatam intentionem in jure *can. omnes Basilic. Caus. 16. q. 7.* cui consonat *c. 3. h. t.* Quare prælatis inferioribus et aliis clericis in diœcesi de jure communi institutionis concedendæ facultas non competit. Unde ut isti hac facultate utantur, debent ostendere titulum specialem proprii juris.

8. Præterea quum nullus clericus in diœcesi officium sacrum assequi possit, et exercere sine dependentia ab ordinario; hinc tradunt doctores, clericum qui instituendus est a prælato inferiori

vel ab alio clerico, præsentandum esse Ordinario, ut cognita idoneitate approbet nominatum. Ad rem facit dispositio tridentina in *sess. 7. c. 13.* ubi hæc leguntur: 'Præsentatis quibusvis ecclesiasticis personis . . . ad quævis ecclesiastica beneficia, non instituantur . . . cum prætextu cujusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati et idonei reperti, præsentatis tamen vel electis, seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis'. Et quidem hoc jus examinandi clericos præsentatos a patronis competit Episcopo, quamvis institutio tituli collativa pertineat ad prælatum inferiorem vel ad capitulum aut ad regulares quemadmodum tenuit S. Congregatio Concilii in *Tervisina et Cremonensi*, et in *Penensi seu Cremonensi*, quarum resolutiones in terminis referuntur a Pignatelli *tom. VIII. Consult. VIII. nn. 81. 82.*

9. Immo in Concilio Tridentino *c. 12. sess. 14. de Ref.* statutum est, in foundationibus vel dotationibus in posterum faciendis non posse patronos aliis reservare institutionem, quam Episcopo loci. Inferiores ergo prælati, qui nempe jurisdictione ordinaria quasi-episcopali careant, ex lege foundationis posterioris Concilio jus instituendi assequi nequeunt. Poterunt vero hoc jus habere vel ex fundatione aut dotatione antiquiore ipso Concilio Tridentino vel ex privilegio vel ex consuetudine aut præscriptione legitima.

10. Et quidem Episcopus potest institutionem tituli collativam concedere etiamsi nondum fuerit consecratus. Institutio enim est actus jurisdictionis quam novus Episcopus obtinet statim ac literas apostolicas promotionis suæ Capitulo sive per se, sive per procuratorem præsentaverit juxta ea quæ exposuimus in tit. *De elect. in libro 1º.*

11. 2º. Virtute mandati generalis potest instituere Vicarius generalis *c. 3. h. t.* 3º. Vicarius capitularis sede vacante *c. un. h. t. in 6º.* Institutio enim est actus necessarius.

12. Quinam possunt institui? — Ex regula in *c. 2. h. t.* proposita, laici non possunt institui in beneficiis ecclesiasticis. Nec ratam faceret et legitimam institutionem prima tonsura quæ postea susciperetur *arg. c. 6. De transact.* Igitur solummodo possunt institui qui actu clerici sunt. Ut vero præsentatus a patrono instituitur, debet esse idoneus. Hinc uti vidimus ex *cit. c. 13. sess. 7. de Ref.* præsentatus ad quodcumque beneficium non debet in bene-

ficio institui antequam ab ordinario examinetur et idoneus repariatur, exceptis illis tantum qui præsantantur ab universitatibus et collegiis generalium studiorum. Hi enim præsuntur idonei. Porro idoneitas resultare debet non solum ex qualitatibus generalibus ad beneficia obtinenda requisitis de quibus in tit. *De aetate, qualitatibus et ord. præfic. in libro 1^o*; sed etiam ex specialibus qualitatibus in lege foundationis descriptis. Animadvertenda vero duo sunt: 1^o. Si beneficio adnexus simpliciter sit ordo aliquis ex. gr. presbyteratus, valet institutio clerici præsentati, quamvis actu non habeat ordinem illum, dummodo tamen intra tempus a jure statutum possit ordinem hujusmodi suscipere *c. 2. h. t. in 6^o*. De hoc tempore a jure statuto sermo fit in cit. tit. *De aetate, qualitatibus et ord. præfic.* Dixi tamen *simpliciter*, idest ratione habitus ex. gr. si fundator voluerit beneficium esse presbyterale. Si enim ordo esset adnexus ratione actus, idest si fundator edixerit, ut beneficium non conferatur nisi clerico, qui jam sit sacerdos, institui non potest diaconus seu requiritur in clerico qualitas sacerdotii jam suscepti. 2^o. Posita idoneitate, non potest Episcopus instituere clericos exclusive alicujus nationis, nisi in lege foundationis id cautum fuerit. Hinc in *c. 5. h. t.* redarguitur Patriarcha Constantinopolitanus, eo quod instituebat in beneficiis solummodo clericos reipublicæ Venetiarum subditos.

13. Quæritur quot possint institui in Ecclesia. Si Ecclesia est numerata, idest si habeat numerum determinatum præbendarum, licet præbendæ hujusmodi unum corpus et unam causam constituent, non possunt recipi et institui clerici ultra designatum numerum præbendarum. Quare vacantibus singulis præbendis, novi institui debent clerici in singulis beneficiis. Quod si sermo sit de Ecclesiis non numeratis, tot poterunt institui clerici quot ex redditibus ordinariis Ecclesiæ possunt honeste sustentari *c. 1. h. t.* Hinc ex *c. 4. h. t.* si Episcopus ultra vires Ecclesiæ velit canonicos constituere, possunt reliqui canonici eidem resistere.

14. De Ecclesiis non numeratis, seu receptitiis fuse agit Pitonius *De Disceptionibus ecclesiasticis. Part. 1^a. Discept. 17.* Quoniam monasteria regularium subsistunt ad modum Ecclesiarum non numeratarum, hinc Tridentinum de ipsis in *sess. 25. c. 3. De Regul.* statuit: 'In monasteriis tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus pro-

priis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari'. Hoc idem jam fuerat statutum in genere in *c. 1. h. t.*

15. Quoad vero Italiam et insulas adjacentes habemus decretum Urbani VIII. in Const. '*Cum sæpe contingat diei 21. Jan. 1625.* confirmatum ab Innoc. XII. in Const. '*Nuper diei 23. Novembris 1697.* In hoc decreto statutum fuit, ut si numerus religiosorum cujuseumque ordinis fuerit designatus et approbatus a S. Congregatione Episcoporum et Regularium non possit a Superioribus sine licentia ejusdem Congregationis augeri sub pœna privationis vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda. Hoc decretum applicatum fuit regnis Hispaniæ ab Innoc. XIII. in Const. '*Apostolici Ministerii diei 13. Martii 1723.*

16. Quoad vero moniales sequens regula servatur. Videlicet si moniales immediate subsint jurisdictioni episcopali. Episcopus est qui prudentia sua determinare debet numerum sufficientem earundem quæ in monasterio recipiantur. Quod si monasterium fuerit exemptum, ex Constit. Greg. XIII. quæ incipit '*Deo sacris diei 30. Decembris 1572* determinatio numeri monialium recipiendarum pertinet ad Episcopum simul et superiorem regularem, videlicet pertinet ad Episcopum cum interventu Superioris regularis. Doctores hoc in sensu referunt resolutionem S. Congregationis Concilii. Conf. Reiffenstuel *h. t. n. 87.*

17. Quæritur intra quod tempus institutio danda sit ab eo qui instituendi jure pollet. — In jure non est præfinitum tempus intra quod præsentatus a patrono, et repertus idoneus debeat institui in beneficio. At si nimium protrahatur institutio, adiri poterit superior qui præfinire potest tempus utile ad concedendam institutionem, quo inutiliter elapso, ipse superior instituet. Si in specie vero sermo sit de beneficiis curam animarum adnexam habentibus ex Const. S. Pii V. '*In Conferendis*' constituitur, ceu tempus utile ad institutionem concedendam, bimestre a die factæ præsentationis. Quo elapso patroni poterunt recursum interponere vel penes Metropolitanum aut penes viciniorem ordinarium vel ad S. Sedem. Institutio autem fieri potest qualibet die etiam feriato et extra territorium instituentis. Est enim actus voluntariæ jurisdictionis, qui completur absque extrinseca et publica solemnitate.

18. Tandem ut rite procedat institutio tradunt Doctores arg. *c. ult. de Elect. in 6^o.* intimationem per edictum ad valvas Ec-

clesiæ faciendam esse qua invitentur omnes interesse habentes ad propria jura deducenda intra præfixum terminum. Quo elapso, expenduntur si adsint rationes concurrentium et solutis difficultatibus, etiam si opus fuerit per judicalem sententiam, emittitur decretum institutionis quo confertur clerico præsentato titulus beneficii seu jus in re perfectum relate ad beneficium.

De Institutione auctorizabili.

19. Institutio auctorizabilis qua nempe præsentato a patrono conceditur beneficium parochiale id est cura animarum de jure communi pertinet ad Episcopum, qui non aliter admittere debet clericum præsentatum quam probatum per examen circa idoneitatem ad munus parochiale obeundum. Tridentinum *sess. 7. c. 13. et sess. 24. c. 18. de Ref.* Et quidem concessio jurisdictionis parochialis competit Episcopo etiam quando institutio tituli collativa pertinet ad prælatum inferiorem vel ad capitulum vel ad alios clericos. Potestas enim Parochi est participatio jurisdictionis Episcopi.

20. Adeo autem reservatur Episcopo auctoritativa institutio ut eam concedere nequeat Vicarius generalis absque Episcopi consensu arg. *c. 4. de Offic. Archid.* Ex quo capite patet, ab officiali Episcopi acquiri non posse hoc jus concedendi institutionem auctorizabilem ex consuetudine.

21. Potest autem concedi institutio a Vicario Capitulari sede vacante. Agitur enim de actu non liberalitatis sed necessitatis, qui ad ordinariam administrationem diœcesanæ jurisdictionis pertinet.

22. 3°. Jus concedendi approbationem seu institutionem auctorizabilem spectat ad prælatos Episcopo inferiores, qui habent jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum sibi commissum. Prælati enim hujusmodi veniunt in jure sub nomine ordinariorum.

23. 4°. Aliis prælati inferioribus competere potest hujusmodi institutio ex privilegio Apostolico, non vero ex consuetudine. Conclusio hæc infertur ex cit. *c. 4. de offic. Archid.* in quo cum ageretur de Archidiacono qui, tamquam prælatus inferior, ordinaria gaudebat jurisdictione in diœcesi præsertim in territorio sui archidiaconatus, ait Pontifex, eundem sibi non posse arrogare prætextu alicujus consuetudinis facultatem concedendi institutionem auctoritativam.

De reali institutione seu investitura.

24. Jus ecclesiasticum non solum determinat modum quo clerici designentur legitime ad beneficium ecclesiasticum assequendum; sed etiam comitatur personam clerici usque ad locum officii sui et ad realem illius susceptionem. Hæc disciplina inducta esse videtur, ut confusio evitaretur aut dubitatio circa ipsam personam suscipientem officium. Hinc juridice ipsum officium per actus symbolicos sensibili quadam forma traditur clerico designato, qui ut ajunt in corporalem beneficii aut Ecclesiæ possessionem immittitur.

25. Ex qua notione patet prohibitum esse clerico, quominus auctoritate propria possessionem suscipiat beneficii sibi collati *c. 7. h. t.* et si id attentaverit tamquam temerarius puniri potest superioris arbitrio. Quod si adhibita violentia clericus possessionem aggressus sit proprii beneficii, privatur omni jure quod illi ex collatione, aut ex institutione tituli collativa vel auctorizabili advenerat *c. 18. § Insuper De Præb. in 6°.*

26. Ex eadem notione sequitur nec laicos posse realem possessionem seu investituram concedere in beneficiis ecclesiasticis. Ea enim in *cap. 1. de offic. Archid.* recensetur inter res spirituales. Contra Episcopos vel Abbates suscipientes investituram a laicis in *can. 12. caus. 16. q. 7.* Gregorius VII. præter nullitatem concessionis dignitatis statuit pœnam privationis gratiæ S. Petri et interdicti ingressus in Ecclesiam. Insuper contra clericos investituram recipientes a laicis in ecclesia, vel ecclesiastica dignitate in *can. 17. ejusdem caus. et quæst.* Paschalis II. statuit pœnam excommunicationis. Quam pœnam excommunicationis decernit pariter Pontifex contra laicum investituram conferentem. Notandum vero est in *Const. Apostolica Sedis Pii IX.* silentium servari de supradictis pœnis interdicti Gregorii VII. et excommunicationis Paschalis II., adeoque eas cessasse.

27. Quisnam igitur confert investituram in beneficiis? Jure decretalium in beneficiis clericos investiebat Archidiaconus *c. 7. de off. Arch.* At extincta Archidiaconi ordinaria jurisdictione, Episcopus est qui per se, vel per suum vicarium generalem vel per alium clericum delegatum concedit investituram seu corporalem possessionem illorum beneficiorum, quæ ab ipso Episcopo conferuntur vel in quibus ab eo datur clericis præsentatis institutio canonica.

Si autem sermo sit de beneficiis quæ conferuntur a S. Sede, juxta stilum curiæ munus immittendi in realem possessionem clericum provisum committi solet alicui prælato signaturæ papalis Referendario, vel vicario generali Episcopi, et Canonico antiquiori, vel duobus antiquioribus canonicis capituli, ita ut vel duo vel saltem unus ex eis realem possessionem concedant. Ritus vero quo conceditur investitura seu manductio in beneficium definitus non est. Hinc servanda est cujuscumque loci consuetudo.

28. Immitti autem quis potest in possessionem vel per seipsum vel per procuratorem suum. Hic vero procurator debet constitui cum speciali mandato *arg. c. 17. Si tibi absentis De præb. in 6º.* in quo statuitur nullum jus acquiri ad beneficium ab absente clerico, nisi ipse absens ratam habuerit beneficii collationem sibi factam. Unde in beneficiis recipiendis non sufficit consensus generalis, ac proinde mandatum generale provisi, sed speciale requiritur. Et revera in praxi servatur regula, ut procurator per mandatum speciale constituatur. Animadverti insuper debet, in beneficiis, in quibus a noviter proviso requiritur professio fidei, non sufficere professionem emissam a procuratore, sed ipsum clericum provisum cum accedit eam emittere debere. Conf. expositio *tit. 1. libri 1.*

De effectibus institutionis realis.

29. Primus est ut ex eo die Clericus incipiat facere fructus suos in beneficio quos percipere non poterat ante captam possessionem.

30. 2º. Secundus effectus traditur in regula 35 Cancellariæ Apostolicæ quæ est *de annuali possessione.* Videlicet si quis impetrat beneficium ecclesiasticum, quod per annum præcedentem ab alio clerico pacifice possessum fuerit et certo modo vacare, et injuste ab actuali possessore retineri prætenditur, debet indicare in ipsa impetratione nomen, gradum et nobilitatem possessoris actualis, annos quos hic beneficium possedit et causam specificam ex qua clare constet, nullum jus competere eidem actuali possessori. Quem actualem possessorem insuper debet intra menses sex ad judicium compellere per citationem, causamque inde infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi tenetur; alioquin impetratio et quæcumque inde acta sequuntur nullius firmitatis existunt, et impetrans tenetur reficere damna omnia et expensas ipsi possessori quem conatus est possessione expoliare.

31. 3º. Tertius effectus datur per regulam Cancell. 36^{am}. Videlicet 'si quis per triennium pacifice possederit quodcumque beneficium ecclesiasticum ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione aut electionis confirmatione, vel institutione post factam præsentationem, dummodo sese non intruserit in beneficium, quod sit dispositioni S. Sedis reservatum ex reservatione generali clausa in corpore juris, et dummodo ejus ingressus in beneficium non fuerit simoniacus, non poterit molestari super beneficio taliter possesso'. Scilicet titulus coloratus quo beneficium possedit, convallidatur triennali pacifica possessione, ita ut non solum in possessorio, sed etiam in petitorio quamlibet exceptionem repellat. Hinc in eadem regula decernitur nulla, et irrita impetratio ab alio facta beneficii taliter possessi ad extinguendas lites quascumque super hujusmodi beneficio. Porro quæ sint reservationes generales de quibus Regula præsens agit jam vidimus supra in titulo de præbendis quando egimus de jure reservationis Romani Pontificis. Censetur vero pacifice possedissee non solum ille, contra quem nemo infra triennium egit, sed etiam ille qui licet passus sit oppositionem, tamen victor in judicio extitit ac favorabilem pro sua possessione retulit sententiam.

32. Quartus effectus est ut per possessionem realem susceptam novi beneficii vacet ipso jure beneficium incompatible quod Clericus noviter provisos possidebat. Hæc quidem regula ex ipso jure communi deducitur juxta ea quæ superius dicta sunt de incompatibilitate beneficiorum. Et merito. Nam proprie quis habere beneficium non dicitur, nisi illud pacifice possideat. At stylus in Dataria Apostolica introductus fuit a jure communi recedens, qui etiam hodie servatur. Stylus hic in eo consistit, ut ipsis literis apostolicis concessionis novi beneficii non semel apponatur decretum vacationis prioris beneficii. Unde hoc beneficium vacare dicitur per decretum, et alteri illico confertur, quin expectetur immissio clerici noviter provisi in possessionem secundi beneficii. Conf. Pitonius *De Disceptat. ecclesiasticis part. 4. discept. 134. nn. 9. et seqq.*

Verum notandum est, ob actualem conditionem beneficiorum in Italia quorum bona a gubernio civili occupata fuere in praxi Datarie Apostolicæ inductum fuisse, ut Clericus provisos de beneficio incompatible cum priore jam possesso possit continuare in possessione prioris beneficii quoadusque non fuerit assequutus civilem possessionem secundi per *regium* quod appellant *Exequatur*.